
VIDING
LVSVS AONII












BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS


Zachariæ à VViding
Cymbri

LVSVS AONII:

Ornatißimo Iuueni, Iohanni Hildensheim, Secretario illustri Holsatico, Sunderburgi, gratitudinis ergò dedicati.

Certus in incerta re cernitur omnis amicus,
Qui mage charus erit, quo mage rarus erit:
Quæritur attentè, tardè reperitur, in ictu
Perditur, ad finem qui stat, amicus erit.

SLESVICI
1589.


BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

HVMANISSIMO IVVENI,
& corporis, & animi donis ornatissimo, IOHANNI HILDENSHEIMIO, Hippolyti F. Illustrissimo Principi Holsatiæ, Sunderburgi, a Secretis, S. P. D.

HAEC Erato tibi sit pro missa missa Melissa
(Biblia sit cordis dicta Melissa mihi)
Ceu Diomedæo par permutatio Glauci
Dono sic dosis hæc par quoq; nostra tuo:
Sed licet exiguum, neq; dignum munere munus,
AEquiualens dono sit nec sane tuo,
Si tamen ad dantis mentem respexeris æquam,
AEquius ex animi munere munus erit.
Cùm modo maioris sint hæc præludia dandi,
Spreueris hoc xenion tu nisi vile, vale.

EIDEM.

SIC DEVS donet tibi sempiternus
Corporis constans animæq; robur:
Huius & cœli tegat vtriusq;
Sede salutem:
Sicq; successus tribuat secundos,
Vt DEO dicas, faciasq; grata:
Principi, plæbi, tibi, quæq; possint
Esse saluti:
Gratus vt linguæ sacer hic Lutheri
Teuthonæ Codex fuit, est, eritq;:
Quo tuum Nise Eurialum beas Hils-
Hæme VVidingum.
Sic tuum CHRISTI generosius cor
Flamen illustret, regat, innouetq;:
Et viam vitæ doceatq; ducat
Tramite lucis,
Vt mei cordis domus innouata

Fulget

Fulget inuenti radijs IESV,
Fascijs huius velut inuoluti
Numine Libri.
Vtq; , ceu lucem , mihi pellegenti ,
Vt recens natus , tabulis , notisq; ,
Atq; commentis , decoratus , addit
Flaminis æstum.
Testis hinc nostri mihi fax amoris,
Præ meis cunctis alijs Libellis,
Stabit auratis , vt & vmbilicis,
Biblia bullis.
Et mei dulcis titulos suaues
Nominis Iani feret Hildishæmi :
Vt mihi curæ precibus sit eius
Sorsq; salusq;.

Zacharias à VViding.



Ευχαι γαμικαι
In nuptijs Secundis

ILLVSTRISSIMI PRINCI-
pis ac Domini, Dn. IOHANNIS: Hæredis Nor-
vvegiæ; Ducis Cymbriæ, Holsatiæ, Stormariæ,
& Dithmarsiæ: Comitis in Oldenburgo,
& Delmenhorstio: ET

SERENISSIMÆ NYMPHÆ AC
Dominæ, Dnæ AGNESæ HEDVVICH Electorissæ Saxo-
nicæ Viduæ: natæ Principis Anhaltinæ; Comitissæ
Ascaniæ: & Dominæ in Bernburgo,
& Seruesto:

Per

Zachariam à VViding
Cymbrum.

Zacharias tibi ceu recinam nunc pectore, fronte
Carmina sincera, Dux, sacra Suscipias.

SIC, vti tristiciæ domus ingemit orba parente,
Cumq; sua Viduus prole dolente dolet,
Cassa domus lugens Holsatica Principe matre,
Principe, Guelphorum quæ sata stirpe, gemit:
Principe, Cymbrorum fuerat quæ nupta Iohanni,
Altera qua maior vix pietate, Duci.
Ipse vicem tristi gemitu testatus acerbam
Principis, extorris mente vagante feror:
Solus & in syluis, vagus ægro pectore, Tempe,
Qualia dant patriæ frondea tesqua, peto.
Hic miser humanis exemtæ rebus, in ipso
Flore iuuentutis, defleo fata deæ:

Quosq; cita moriens, pia mater, morte reliquit
Pupillos sexus hic vtriusq; fleo.
Eq; preces lachrimis, gemebundo pectore, miscens,
Seria siderio nuncupo vota Patri:
Sarciat Holsatiæ domui cito sorte ruinam,
Cum miserans, patrio pectore, Prole Patrem.
Pupillis dominam, viduo, sit, detq; puellam,
Illis quæ matris, coniugis huicq; vice.
O DEVS! ò dixi, lucescat pronior illa
Illa dies nitidis lucida nata notis!
Qua soboli mater: nobis qua diua priori
Par, similis coniux detur, vt ante, Duci!
Esse, DEVS dixtin: solum conducere nulli:
Intret eò thalamos par dato diua Duci.
Tunc, DEVS, ò tibi tunc quàm grates pectore grato,
Quamq; decus læta mente iugale canam!
Esse Ducem Sponsum referat modo nuncius ipsum,
Quem pater huic patriæ vult DEVS esse patrem,
Qui det huic animi Nympham quæ dotibus aucta,
Dotibus & quæ sit corporis apta, DEVS.
Hanc, DEVS, optaui toties, hanc expeto sortem,
Hac, vel in hoc volucrum, luce, sonore dari:
Nomina quo Nymphæ, virtutes, stemmata, formam
Suggerat hic cupido scribere Musa mihi:
Et Duce quæ patriæ mihi dictet carmina nostræ
Digna, nec ingenio displicitura Ducis.
Hæc mihi poscenti, pauor occupat ilicet artus,
Haud grauis, attonitum me tamen esse facit.
Astitit attonito Lauro redimita capillos
Namq; mihi dicto blandula Nympha loco.
Erigor, & luctum sensim decedere sensi,
Sentio læticiæ nam noua signa nouæ.

Taliter

Taliter optata referens mihi Musa salute
Vranie, nisi me forma fefellit, ait:
Desine velle queri, noli Zacharia dolere,
Auditæ, visæ sunt lachrimæq; preces:
Quin modò venturæ sortis tua tristia leni
Pectora læticia, qua dolor omnis eat:
Tristiciæ luctus tibi nam vertetur in alta
Gaudia, qui mærens fles modo lætus eris:
Vere quidem luges, autumni tempore psalles,
Mane velut fletus, vespere risus erit:
Omine iam viden' vt læto tibi pontus, & æther,
Cumq; polo plaudens floreat atq; solum:
Sylua, solum, cælum, strati maris æquora rident:
Te facie circum cuncta nitere vides:
Temperat vmbrosi nemoris tibi tegmine subter
Fonticulus placidæ frigiditatis aquas:
Vnda fluit leni, salienti fonte, susurro,
Spirat ab arboreis floribus aura fragrans:
Sub folijs roseo viridantibus vndiq; flores
Et pyrus & pomus, comta colore, ferunt:
Arboribus viridi renitet tibi vertice in vnguem
Quercetum positum, non procul æde tua:
Aura silet, pontus sidens micat æquore strato,
Ceu speculo syluæ marmore subq; patent:
Harmonia volucrum tenerarum dulce sonante
Quæq; Creatori concinit apta suo:
Veris enim cùm sit tempus geniale nouelli
Omnia nunc facie sunt decorata noua;
Ceu sibi sentiscant variandæ gaudia sortis,
Ob bona iam patriæ fata propinqua tuæ.
Excipe quæ tibi sum calamo sonitura notante,
Tanta DEI pateant vt bona parta bonis.

Tristi

Triste gemens sexus sine disparis alite Turtur,
Compare iam sexus disparis ales ouat.
Binis, vt grauidas autumnus legerit vuas,
Principibus viduis pectora nectet Amor:
Luce noui duo sed prælustria veris amantûm
Numine propicio corpora iunget Hymen.
Luce noui nono februa bis Anhaltinis anni est
Nympha Ducis thalamos nam subitura tui.
Cuius at, vt tibi vis, placidæ dabo nomina Nymphæ
Sintq; dabo diuæ stemmata nota domus.
Tute tibi numeros cythara modulante capesse,
Inq; Ducis carmen, quod cano, scribe thorum.

F. ontis vt Aonij reuocares numina ab ort V
B. enigna Musico simu L
I. nclyta quo posses Ducis edere fœdera feli X
E. t Nymphulæ iugali A
L. audibus eximijs celebrare Poemate læt O
A. c mente grata gaudia o B
I. psius in te vel quæ contulit optima nupe R
T. anti Ducis Propensi O
I. pse fuit qua Dux tibi vinctus pectore sicu T
V. irtutis æquus arbite R
T. alis is est, dulci compensat carmina fruet V
S. ic hunc iuuat Poetic E
V. ranie supera præsto tibi sede profect A
V. otis tuis adsum pij S
I. mproba quam nocuis necuit Libitina lacerti S
I. nsonte mente Principe M
S. ustulit, haud condens vrna sacra corpora vil I
R. econdidit tumba nou A
I. nteritu placidè iam libera, marmore done C
Q. uiescit, est venturus i N
C. elsior ætherio præeunte IEHOVA tonitr V
V. idenda surget impet V
V. iua DEO viuens, tibi Dux quoq; viuida viue T
I. n optimo vitæ stat V
T. urturis interea patiens qui pectore, nut V
T. uam DEI rexti via M

Nunc

N. unc DEVS in thalamos tibi dat dea Turtur & ipſ I
I. ntret tibi, quam copula T
O. ptima progenie, priſco ſata ſtemmate prodi T
M. agni patris ſummo grad V
V. tpote ab Aſcanij generis dea principe priſc I
E. t Anhaltea proſapi A
E. ſt Agnes Heil'vvich pia perpetis Agna Saluti S
T. um clarior, tum gratio R
L. audibus excellens hæc quod venit edita diu A
D. E V M colente de trib V.
L. ucida quæ tribus eſt longè clariſſima nunc o B
O. rtum vel iſtac Principe M
Ae. ternum coluit viuens quod perpete cult V
M. anusq; vox eius D E V M
O. mine felici qui geſſit nominis ome N
I. s iure dictus agricol A
L. audiſer in Domini quod agro non pſallere Daui D
N. ec ſpreuit eſſe ciuis i N
I. pſius hic tectis ardens lucere lucern A.
V. ates DEIq; rex apu D
V. ulgus vt erubuit neq; CHRISTI pangere nome N
M. entis ſub eius halit V
A. dditur è tali Dux ó tibi ſtemmate Princep S
Q. uæ moribus, virtute ſi C
R. ara viget volucris, ſit vt hæc immunis ab omn I
V. iciorum dea laſciui A
V. t forma ſuperet caſtiſſima diua Dione N
I. uno ſit æs, Pallaſq; ſu B
M. ente cubet, cuius ſapientiæ ab ore fluit me L
A. morq; lux V E R B I D E I
I. nclyte Dux gaude, tali decorate marit A
M. atriſq; vice natis tui S
N. on erit hæc natis iniuſta nouerca, videbun T
B. landæ parentis pectus a B
C. onſpicuo florens Pietatis amore, fidequ E
V. irtute, mititatequ E
I. pſamet ò tua te Duce Dux digniſſima noſte R
L. audabilis tua coſtul A
R. ite tibi ſociam quam iungis numine CHRIST I
A. utor thori qui ſolus es T

C. uius ab auſpicio, cuius quoq; numinis hic ſu B
T. utoria ſumus man V
V. tq; tuo ſumus hic nos Muſica turbula fot V
I. n his tuis regionibu S
I. nſtar vt & Patris, & Patruelis: tegmine Regi S
N. os hic fouemur aq; t E
T. utaq; Fridrici Regis fulcimina nos a D
V. iuendo lætæ * viuimu S *viximus
V. rſus Anhaltinus qualis, nos taliter Holſt O
I. n nos ſumus Leonequ E
M. uſicus Aſcaniæ grex Saxoniæq; ſeorſi M
I. n ſerta Rutæ fert capu T
E. ruta Cymbriaco ſplendens Vrtica colat V
S. acrum viget Heliconis o B.
N. os, Aquilæ Aſcaniæ par, Holſtus amoreq; Cygnu S
E. ſt proſecutus debit E
S. ic ſimilis ſimili parili par germine gaude T
I. n gaudio virtutis i N
Ae. ternum, ſortis parilis gaudebit vt ort V
V. terq; celſus princip E
T. u patriæ viuas pater illuſtriſſime noſtr Ae
S. erene Dux, noſtrum capu T
V. t quoq; tu viuas patriæ decus inclyta Nympha
S. oli decus, decus pol I
Ae. ternùm viuas Dux inclyte coniuge viua
Tibi DEVS det viuat a B
AEtherei Patris accumulata fauore perenni
Natis tuisq; Dux tib I
Ipſamet hic tecum quin viuat, vt altera vixit
Vt neſcias ſit illan E
Charior, an fuerit tibi quæ chariſſima quondam
Vita tua tibi chario R
Illaq; priuignis (vbi gloria rara nouercæ,
Quod conferet CHRISTVS ſib I)
Agna, Salus populi Perpes, quin mater vt illa
Nobis fuit, ſic hæc eri T.

Hactenus Vranie: Satis eſt vtriusq; decora
Corporis ac animi dos celebrata, loquor:
Pro merito poterit licet hæc celebrarier vnquam
Sat nequit vt pietas hic vtriusq; cani.

Reſtat

Restat vt adijcias mihi dulce Gamelian, es quod,
Quodq; mihi petij, pollicitata dea.
Blanda mihi vultu ridendo Camæna sereno
Rettulit, hoc dudum quod petis, inquit, habes.
Vltima cum primis elementa sub edita quouis
Si numeres medio carmine cautus, erit.
Fine characteres versus cuiuslibet atq;
Principio, tacita supputo mente legens.
Viceni octaui centeni prima Dauidis
Carminis è Latio colligo verba stylo.
Cœtera defuerant hilari quæ pectore verba
Me iuuat ascriptis succinuisse modis:

ECCE age SIC felix BENE sic DICETVR HOMO, QVI
Hic TIMET ex DOMINVM pectore, mente pia:
Et, BENE sic DICAT DOMINVS TIBI, Duxq; Ducissa
Desuper EX cœli diuitis arce SION:
VT VIDEAS animæ BONA IERVSALEMa DIEBVS
OMNIBVS in VITAE prosperitate TVAE:
ET VIDEAS vt FILIOLOS tibi FILIOloRVM,
PACEM Christicolam sic SVPER ISARAEL.

Dicat amen, quisquis pius est ex pectore (dixit
Vranie) Dux cum Principe dicat amen!
Sicq; tibi Sponso cecini quæ Sponsa futura,
Quaq; tui Princeps Principis orta domo:
Orta domo, domus Ascaniæ de nomine prisco,
Cuius vt & virtus sic pietasq; viget.
(Ascena Gomeri nato, Iapheto; nepote,
Hic nec vt AEneæ de loquar Ascanio)
Nota domus: Teuthis qua non antiquior vlla:
Vatibus Ascaniæ, sicut Homere tibi.
Prisca sed haud annis saltem, virtute sed omni
Nobilis, antiqua cum pietate sua.
Φόρκυς ἆυ φρυγας ἦγε, καὶ Ασκάνιος θεοειδὴς
Laude quid hac tanta dignius esse potest?

Stirpe vel hac una trini proiere Ducatus,
Saxus, Anhaltinus, Brandenoburgus item:
Vrsus & Ascaniæ comes est Albertus eorum
Conditor, Ascanio natus Othone patre.
Est & ab Ascania grauis hac Vrsinia gente
Nobilitas, primum quæ tibi Roma decus;
His sata de Ducibus Teuthis, quibus Itala terra
Induperatorum iussa regenda vice.
Qualis Anhaltinis pietas, sit quantaq; virtus
Principibus, Ducibus quatuor hisce patet:
Vnicus eximium Martis decus ipse Rodolphus
Vt Comes Ascanij sanguinis, esse potest:
Geldria quem celebrat, celebrat quem Pannonis ora,
In quorum toties victor ouauit agris:
Italicas qui tres cingens cùm vicerit vrbes,
Virtutis specimen militiæq; dedit:
Milite Vincentis cùm circumuentus ad vrbem
Sic nec vt elabi posse daretur, erat:
Certus & ad certam lanienam Liuius hostis
Teuthonidum venetos victor adesse daret,
Hic ita pugnauit, Venetos fusosq; fugatos
Irrumpens hostes vt daret ipse neci:
Quis ita disiectis, protritis atq; subactis
Magna spectantûm parte ruente virûm,
Impete præcipiti multis Bachilonis in amnem
Actis, victori gloria summa data:
Namq; nouem Veneto ceciderunt millia cæso
Agmine, perpetua laude Rodolphe tua.
Sic tibi, Sclauorum duo millia strauit, adhærens
Lotthario, Henrici Cæsaris hostis, Otho.
Principibus simul his pietas sit quanta vel vnus
VVolfus in Augusta præstitit vrbe docens:

Cæsare

Cæsare cùm coram, reliquis ibi Principibus cum,
Te CHRISTVM scriptis, voceq; fassus erat:
Quanta tibi pietas Princeps generose Georgi,
Scripta docent, docuit vox vti viua, tua:
Tu mentes hominum, Comes Ἀχάνιος θεοειδὴς,
Voce, manu; Similis, ducis ad astra, DEO.
Fratribus in Sponsæ virtutis lucet auita
Gloria ter generis nobilitata gradu.
De quorum volo pòst virtutibus edere plura,
De quoq; qua Patribus sunt pietate pares.
Addere de Sponsæ volo non modo stemmate plura:
Sint quoq; de Sponsi stirpe relata satis:
Quis vti gratantur modo verni temporis auræ,
Et facie placida CHRISTVS vtriq; fauet:
(Vtraq; maiorum soboles benedicta piorum
Sancta patrum proles quæ pietatis amans
Qua Ducis, vrbs Solis crescit, pietate: decora
Classe, nitens domibus, moribus apta nouis
Quaq; Ducis Verbi fulgent pietate ministri
Hoc: instar Patris & Fratris: honore, solo)
Sic quoq; brumali venturo læta videbis
Tempore, quo dabitur Nympha decora Duci.
Ceu modo, sic quoq; tunc ridebunt omnia, tanquam
Quamlibet autumni tempore, vere nouo:
Singula læticia florebunt, omnia læta,
Principium, medium, lætaq; finis erit:
Namq; pijs votis respondens, sospitat ipsa
Pacta thori præsens autor vt ipse DEVS.
Qui DEVS his placidam vitam, vitæq; perennis
Gaudia det, summo concomitante bono:
Hoc Pater, hoc Sponsis det Filius, hoc quoq; Sanctus
Spiritus, vt parili numine, donet amen!

Talia fac voeis gratere Duciq; Ducissæ,
Sitq;, roga, CHRISTVS dexter vtriq;, vale.
Dixit, at ò dixit dea quàm verissima, quadrant
Res verbis, rebus quàm sua verba suis!
Singula nam fiunt modò, ceu mihi rettulit antè
Vranie, dictis nuncia diua modis:
Dux etenim summo ducit sibi stemmate natam,
Regis & è nubit stirpe puella Duci:
Ipsa Duci coniux: natis pia reddita mater:
Gaudet humus Dominam Cymbrica nactam piam.
Fausta patri patriæ patres, pueriq; puellis,
Atq; nurus Dominæ fataq; vota canunt:
Tune vides, dea ceu prædixit, vt omine læto
Nunc, licet hæc hyemis tempora blanda micent!
Cuncta, Ducis ceptis gratantur fata beatis,
Cumq; polo plaudunt astra, salumq;, solum:
Scilicet hoc fuerat, quod & ætheris agminis instar
Alituum canerent dulcius ora melos:
Hoc, quod & è liquido cucuriret gutture pullus
Complosis alis gratificanter, erat;
Quando profecturus modo vellet carpere Princeps,
Quod bene fortunet CHRISTVS IESVS, iter:
Contiguæ proprijs perhibent quem sedibus ædes
Ante recens ouum quinq; fuisse dies.
Dulce melos volucrum sonuit, sonet æthere vtriq;
Dulcius Angelica voce sonante melos.
Qualia cùm fiant fieri quæ Musa recensens
Vere nouo nobis vaticinata fuit,
Dulcis inis absens, Princeps clarissime, quæ nunc
Pacta tibi calamo grator ouante thori.
Quæq; tibi Iani pro strena scribo Calendis
Donula dans magno parua, sed apta, Duci;

Donula

Donula quæ tædæ ventura luce iugalis
Vt tibi Dux placidè Musa probentur, auet:
Luce DEI tibi qua datur Ascanis Agna per Agnum,
Agna tui Perpes nata salute Salus:
Luce, Noæ volitans Oleæ qua fronde Columba
Attulit occlusis in rate læta viris:
Luce, pijs est quæ constantia dicta vetustis,
Vtrius vnanimi constet amore fides:
Luce, velut fastis concordia dictaq; priscis,
Omine concordi pectora bina liget:
Luce mihi mea qua data Margaris vxor Hogreua,
Sit concors constans mens det vtrinq; DEVS.
Quo quoq; Doctorum Constans Concordia, rupta
Cùm caderes cecidit pace LVTHERE die:
Sic tibi læticia felix fortuna sequente G.G.G.M.F.
Contigit à Domino, ceu tua vota volunt:
Cœlitus Vranie mihi ceu mea cœlica Nympha
Dixit, vti CHRISTI voce futura canens.
Dixit. at hæc, præstans pietatis nomine Princeps,
Dicta tibi diuæ grata futura reor:
Grata meæ solito fuerint quin more Thaliæ,
Vranies quoq; sic hæc fore grata scio:
Hinc tibi Dux patriæ, Ducis & tibi costula dulcis
Fiet, vti Psalmi dulcia verba sonant:
Gratia sic fueris, vti diceris: Vxor abundans
Vitis: Oliuarum pignora germen erunt.
Sicq; bonis trini sibi succedentibus autor
Ordinis, hac trina te cumulabit ope;
Vt quàm sit, videas, Ecclesia florida cultu:
Sitq; statu Res quàm publica pulchra suo:
Et videas natos, & qui nascentur ab illis;
Delitias animi, Dux generose, tui;

Deniq;

Deniq; sit nutu quàm fulgida numinis Aula,
Fotaq; quam placida Patria pace, Vale.

Suscipias sacra, Dux, sincera carmina fronte
Pectore iam cecini ceu tibi Zacharias.

Εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα.

CHRONODISTICHA

siue
Eteosticha
Rerum quarundam memorabilium.

Natalis Christiani Tertij
Dan: Regis.

1503. *CLara DIes CLaræ terno Cantata Patrono*
ChrIst - Iano, Dano rege parente sato.

Obitus eiusdem.

1559. *LVCe noua IanI noVVs annVs ab InCIpIt, haC est*
ChrIst - Iano LVX & reDDIta VIta noVa.

Obitus Dorotheæ Dan:
Reginæ, vxoris Christ: 3.

1571. *Dorothee sanCto regI regIna tVo CeV*
DIVa thoro, CœLI sIC soCIata throno.

Natalis Frid: 2. Dan:
Regis, Christ: 3 F.

1534. *PrInCIpIo IVLI nItVIT LVX faX qVoqVe DanIs,*
NatVs Vt HarsChLebæ reX FreDerICVS oVat.

Natalis Adolphi Hol-
satiæ Ducis.

1526. *QVa VersVs PaVLVs, noVVs haC qVoqVe natVs ADoLphVs*
LVCe, Logô soLa gratIs VterqVe fIDe.

Natalis Magni, Du-
cis Holsatiæ.

1540. *VICena qVarta AVgVstIna LVCe, bIs hora*
QVIna, te LaCtans HafnIa, Magne, VoCat.

Nata-

Natalis Iohannis Iunioris, Holsatiæ Ducis.
NVnCIat Vt GabrIeL MarIæ noVa faVsta, Iohannes 1545.
HaC satVs est PrInCeps HoLstVs In arCe noVVs.
Natalis Elisabethæ Anglorum Reginæ,
incomparabilis exempli Nymphæ
Mineruæ.
NataLIs noX Vna fVIt MarIæ ELIsabethqVe, 1533.
HæC ChrIsto paret, ChrIston at ILLa parIt.
Obitus Olympiæ Fuluiæ Moratæ,
Poëtriæ doctissimæ, & planè
diuinæ.
In CæLIs sIbI LVX Vt OLyMpIa FVLVIa fVLget, 1555.
In terrIs ea sIC fVLget honore VIrens.
Expug: Dith: & Coro: Frid: 2. Idem annus
in alterutro versu.
Serta pIo regI fert LaVrea DIthMarIs ora,
AVrea seD tIbI Dat DanIa serta LIbens. 1559.
Nuptiarum Frid: 2. R. D. 1559.
Consona CæLIcoLæ nVpsIt SapIentIa paCI,
ThVra fer aVtorI DanIa Læta Deo. 1572.
Nuptiarum Iohannis Ducis
Holsatiæ, Secundarum.
HoLstVs AnhaLtIna LætatVr prInCIpe prInCeps,
ChrIste faVe CeptIs hIs sIt Vt VnVs aMor. 1588.
Natalis Christiani 4. R. D.
CVLtor Is Vt ChrIstI tIbI reX VIrtVtIs aVI sIC
FVLtor erIt CVIVs noMen Vt hVIVs habet. 1577.
Electi in Regem Daniæ.
VobIs ChrIst- Iano nItet Vt LVX DanIa LeCto,
FLos FreDerIge soLI, steLLa SophIa poLI. 1584.
Obitus Friderici Secundi,
Regis Danorum.
Rex pIVs, à natIs pater, ò DoLor! oCCIDIt, IpsIs
ChrIst- IanVs natIs sIt VICe ChrIste patrIs. 1588.

Obitus

Auguſti & Annæ, Saxoniæ: Eliſabethæ & Vrſulæ, Mechelburgiæ: Adolphi & Elizabethæ, Holſatiæ &c. Principum.

1586. Anna AVgVſtVs; ELIſabeth; VrſVLa; ELIſ'beth; ADoLphVs:
HI ſoCIo naCtI ſIDera CeLſa grege.

Obitus Iohannis Senioris,
Ducis Holſatiæ.

1580 Ah DoLor! oCtobrIs Iannes LVX aLta CaLenDIs,
HoLſatIæ prInCeps, Vt generoſVs abeſt!

Obitus Frid: Ducis Holſatiæ,
Adolphi Fratris.

1555. ChrIſtVs ab hIs terrIs te VoCe VoCaVIt In Vno
SenſIbVs IntegrIs, DVX FrIDerICe, Choro.

Obitus Friderici, Ducis Holſ:
Adolphi Filij.

1586. PaCIs eras prInCeps, ſIbI reX VtI paCIs IëſVs
AbſtVLIt aD paCIs te, FrIDerICe, patres.

Sex ſequentium ſingulorum natalis in priori, obitus autem annus in poſteriore Chronoſticho continetur, absq; D. Chytræi:

Cui DEVS, ut viuo, det viuere Neſtoris annos.

Lutheri:

1583. SIs IbI DVX, DoCtor LVCente LVthere LVCerna,
1546. HIC MIbI CeV CVrſVs, LVX, VIa, LVCIs Iter.

Philippi.

1497. ECCe ſVb, eX LeCta faX LVX ſeMente PhILIppVs,
1560. Sorte ſeneX Læta, Dona beata Metet.

Chytræi.

1530. OrbIs In AVgVſta bona LVX peLLVXerat Vrbe,
LVX orbI eXorerIs CLara, Chytræe DaVID.

Eobani:

1488. VIVVs, oLor ſICVt, reX ECCe In Morte CanorVs.
1540. SVbſonat eX æthra VoX tVa nota DeVM.

Sabini:

CeLſa Canens reDIt aD ſIC PegaſVs æthera CœLI, 1508.
GaVDet, & hoC CeLſo LaVDat ApoLLo LoCo. 1560.

Stigelij:

StIgeLIVs Lato, hæC CeCInIt, peDe ChrIſto vt aDhærens, 1515.
ECCe LICet Læto nVnC peDe LVDat eI. 1562.

Nuptiarum Iohannis Blomij
de Sehdorpf:

FLos VIVaX tua ſIt feLIX tIbI SthVrVLa FLorI, 1573.
CanDIDa pVrpVreæ CeV roſa IVnCta roſæ.

Obitus Erici Vck de
Auenbulund.

BIs qVIno OCtobrIs DVLCI VaLeDICIt ErICVs 1566.
VkIVs VXorI pIgnorIbVsqVe pater.

Obitus Hinrici Holckij de
Ronhaue & Ballilunda.

QVInta bIs HInrICI LVX HoLChI Vt nonaqVe MaII, 1579.
QVarta qVe bIs, VItæ hIC, VIX neCIS, hora fVIt.

Obitus Danielis Rantzouij,
belli Ducis in Suedos.

SVetIa beLLatrIX tIbI VI FreDerICe fVtVra 1569.
SVppLeX, RantZoaa LVX nI CeCIDIſſet, erat.

Obitus Catharinæ Vamdammæ,
vxoris Pet: Rantzo: fr: Danielis.

ConIVge RantZoVVs CaſſVs PetrVs Aggere ConIVX 1577.
Mœret, CeV CaſſVs tVrtVre tVrtVr aVe.

Obitus vxoris prioris, Danielis Ekingi,
Præpoſiti Alcionij:

SIC DanIeLIs obIt CatharIna & In EZeChIeLIs 1576.
LVCe, HepbZyba DeVs ſIt tIbI ſana tVa.

Obitus vxoris, eiusdem, poſteri-
oris Metthæ.

ALtera bIs ſena Caro CoſtaqVe LVce noVeMbrIs 1579.
Vt peperIt, partVs fraCta Labore, perIt.

Nupt: Dan: tertiarum.

81. *Pro tIbI qVas tVLerant CrVCIbVs CatharInaqVe Metthas*
ALtera LætIsonans te CatharIna beet.

Nuptiarum M. Thomæ Schattenbergij
Pastoris Flensb: & Mariæ
Suvelundiæ.

76. *IVnge DeVs Dextras sponsI sponsæqVe, VIr VXor,*
InsItI IIVt DeXtræ sInt sIne fIne tVæ.

Nuptiarum Iohannis Rostorpij,
Scribæ Cancelliaci, in Dania.

85. *FInCCIa Rostorpo nVpsIt CatharIna IohannI,*
ConCorDes VIVant (noX sIne LIte) DIes.

Obitus D. Thomæ, aui Zachariæ
à VViding, paterni:

21. *QVa ChrIstVs CœLI repetebat regna serenI*
LVCe, sIbI ThoMas teCta parata petIt.

Obitus D. Iohannis, patris
Zachariæ.

72. *LVCe pater paLLens qVa teCta ECCLesIæ aDIret,*
TeCta petIt CœLI spIrItVs eCCe patrIs.

Aliter.

72. *Fana pIo patre sIC CLeMentIs LVCe petente,*
TVta tenet CœLI spIrItVs astra patris.

Obitus Cynthiæ, matris
Zachariæ.

66. *De terrIs oCtaVo oCtobrIs In astra CaLenDas*
Ipsa pIe hInC abIIt CynthIa non obIIt.

Natalis Zach: à VVid:

67. *TVte MIhI In VIta sIs VIa VIVe DeVs.*

Nuptiarum eiusdem.

65. *Nona bIs ILLVstrI LVX febrVa ConstItIt ortV,*
FœDera ConIVgII Vt LeCta VVIDIngVs habet.

Anni natales Liberorum Zachariæ:
Danielis.

VIVe

VIVe pIè DanIeL & MorIere pIè.

Elzabes. 1565.

ELsbe reDeMtorI VIVIto grata tVo

Salomes. 1586.

SIt SaLoMes nIVel VIta pVDorIs bonos.

ELiæ. 1570.

SIs VIrtVs trInI nVMIne ELIaDeI.

Oliuæ. 1572.

Ah MIhI te IesVs Dexter OLIVa tegat.

Obitus Iohannis Betkij, 1574.

Consulis Sunderburgensis.

PræMIssos seqVerIs BetkI te ConsVLa natos,

CœLestIs qVIbVs es IVnCtVs In arCe poLI. 1588.

Obitus M. Mart: Coronæi

Pastoris Chiloniensis.

Nona bIs Vt Læta LVX febrVa constItIt hora,

Regna CoronæVs CœLICa Morte petIt. 1585.

*

Nemo meum tentet Peto Posthac Vellere fœtum,

Sed patris ut par est nomina ferre ferat.

HISTORIA

Paßionis & cruciatuum Domini & Redemtoris nostri IESV CHRISTI, in sex actus siue conciones, ordinis & memoriæ causa distributa & versibus reddita.

COEna: Kidron: Caiphas: Pilatus: Cruxq; Sepulchrum:

Ordine quo CHRISTI paßio facta, docent.

COENA.

Vngitur: accumbit: cœnam dat: crura lauatq;

Discipulis: loquitur plurima: cantat: abit.

HORTVS.

Orat: luctatur: sudat: venit Angelus: hostes

Sternit: adit Iudas: Petre feris: fugiuut.

CAIPHAE domus.

Ducitur ad Caipham: Petrus negat: ore petulco
Damnatur mortis: conspuiturq; reus.

PILATI domus.

Pœnituit Iudam: Pilatus mittit Herodi:
Ceditur: expuitur: traditur inde neci.

CRUX.

Ligna crucis gestat: septenaq; pendulus edit
Verba: Creatoris fata, creata gemunt.

SEPULCHRUM.

Unda, cruor, fluitant: sepelitur: milite cingunt
Busta sacra: inuito sed redit hoste DEUS.

SEPTEM VERBA.

Orat; commendat: latro: eli: sitit: omne: manus in:
Edidit hæc septem de crucc verba Logos.

QUOMODO PASSIO CHRISTI meditanda.

Cur? quinam? à quibus? ob quid? in exemplumne sequendum?
Est sita in his causis Paßio quinq; crucis.
Passus amore tui est: anima quam carne: suapte
Gente: tuum scelus ob: tu quoq; disce pati.
Si vis cum fructu CHRISTUM * didicisse salutis, * docuisse
In CHRISTI tibi sunt hæc meditanda cruce.

BENEDICTIO

Francisci à Nauman, Præsidis Schiuelbeinensis, nouæ Marchiæ, atq; Commendatoris ibidem: Hippolyto Hildensheim, Marchionis Iohannis Brandenburgensis à Consilio, & Secretis, Genero suo, atq; uxori eius, Catharinæ, filiæ suæ, eorundemq; liberis, nepotibus suis, facta, & 23. Martij, anno post Virginis partum 63. promulgata, & iam Carmine utcunq; reddita. Z. à VV.

Genera-

Generalis benedictio.

IPse DEUS, Domini nostri Pater almus IESU
CHRISTI, qui veri nomina Patris habet:
Esse iuventutis mihi qui dat origine prima,
Hanc ad præsentem, quam modo vivo, diem:
Atq; DEI, qui me de cunctis eruit ultrò
ANGElus, æterni fœderis arrha, malis,
Cuius ego sum, cui soli deservio servus,
His faveat pueris & benedicat, amen.

Franciscus à Nauman, Hippolyto Seniori, genero suo.

Felices! vitam vivunt qui labe carentem,
Et Domini carpunt in sibi lege viam.

Hippolytus Senior, parens:

* O utinam mea vita via directa sit æqua,
Servem iusticias ut DEUS une tuas!

Franciscus à Nauman, Catharinæ filiæ suæ.

AEdificat sapiens mulier sua tecta, domumq;,
Digna timet mulier quæ pia laude DEUM.

Catharina, uxor Hippolyti, mater sequentium.

* Verba meis tua sint pedibus DEUS ampla lucerna,
Iuravi statuens verba tenere tua.

Auus maternus, virgini Euphemiæ.

Virgineus Regi chorus adducetur ad illam
Sponsam, quæ tibi Rex ducitur una, Logos.

Euphemia.

Sancta tui mihi LEX preciosaq;, Conditor, oris:
Argenti atq; auri pondera mille super.

Auus Hippolyto.

Iuda! tui te per laudabunt secula fratres,
Hisce, favent tibi qui corde, favebo DEUS.

Hippolytus Iunior.
Ipſe DEVS nobis Deus ah benedicat vt extans
Noſter, & hunc terræ climata cuncta colant.
Auus Franciſco.
Proficiens puer at creſcebat, gratus Iouæ,
Nulli non hominum dexteritate placens.
Franciſcus,
Confirma DEVS in me ceptum, perfice greſſus,
A me diſcedens nullibi, CHRISTE, meos.
Auus Iohanni.
Ecce puer probus! en verè Iſraëlita! velut non
Cuius in eſt toto pectore mica doli.
Iohannes.
A labijs ſerues animam mihi, CHRISTE, doloſis:
Sitq; dolis a me lingua referta procul.
Auus Auguſtino.
Filius accreſcens Ioſeph, tibi Patris Iacob
Adiutor, faueat cunctipotensq; DEVS.
Auguſtinus.
O mea mens Domino benedic, eſt quicquid & in me,
Eius id in laudes nominis omne fluat.
Auus Conſtantio.
Qui niuei caſſam traducunt crimine vitam,
Priuabit nullis hos DEVS ipſe bonis.
Conſtantinus.
CHRISTE, mihi nulli, Iudex ſuccurre, nocenti,
In tu iuſticia meq; tuere tua.
Auus Hieronymo.
Ipſe fui puer, & ſenui modo, non ſcio iuſtum
Deſertum, aut ſemen, panis egere, pij.
Hieronymus.
Nec mihi diuitias, neq; paupertatis IESV
Des onus, at quæ ſunt cunq; neceſſe, dato.

Con-

Conclusio ad omnes.

Augeat ab vobis sua donaq; proroget annos
Omnibus, æterna pro bonitate, DEVS.

IN SYMBOLUM

Iohannis Hildensheim, Secretarij Principis Holsatici, Sunderburgi:

V. V. V.

Virtute Vincenda Voluptas.

VAnida Virtutis Vincenda Vigore Voluptas;
Symbolon hoc bene fers HiliosHæme tibi.
Namq; voluptates, irritamenta malorum,
Virtutum sobria dexteritate fugas.
Quid ferat, ut qui scis, animis illapsa Voluptas
Titillans, animæ perniciosa, mali.
Non tantum gladius poterit nocuisse nec arcus,
Quam gula, qua noxa noxius orbe nihil.
Huic comes ebrietas, apraxia, crapula, luxus,
Spurcicies, luctus, pauperiesq;, dolor.
Hanc circumuolitans pennis Infamia nigris
Pro laudis fama sit, facit, orta fames.
Pigra quies vigili virtuti ibi præualet atq;
Floribus ore suis est rosa rosa suis.
Tute Voluptatis fomenta viriliter atræ,
Virtutis pedibus subter amore premens,
Affectus vicijs fixos terrestribus, horum
Effectus terræ sub simul ima fodis.
Numinis auxilio Trini quod pectore gestas,
Quod Clypei triquetræ forma Ligonis habet.
Pro vicijs virtus tibi cordi, cuius honori
Deditus, ut cuius totus amore flagras.
Huic præit, ut mater, pietas: comitantur honores,
Diuitiæ, laudes, sobrietasq;, decor.

Hanc circumuolitat nitidis Euphemia pennis,
Sitq; facit laudis pro tibi fama fame.
Grata DEO, *donat, quæ sint hominiq; saluti*
Sobrius vt dicas, vt faciasq; vigil.
Hinc tibi succrescens stat gloria florida vultu,
Obuia se tibi dant laus, honor, aura, fauor.
Atq; coronatis Victoria lætior alis,
Numinis ad summi te vehit astra poli.
Idq; coronata signant in caßide binæ
Alæ, quæ cœlum celsa volando petunt.
Illud, habens alas annelli lucidus instar
Circinus in galea, numinis vmbra, notat.
Hæcq; Voluptatis Victrix tibi Viuida Virtus
Schemata, Virtutis pulchra trophæa, dedit.

IN SYMBOLVM

Hieronymi Friesendorfÿ: Illustriß: æ Principi
Holsatiæ, Chilonÿ, ab epistolis:

MVSICA LAETIFICAT
COR HOMINIS.

Lusus VVidingÿ.

Music: Adams Ribb: Rebensafft:
In Gottes furchten/ freude schafft.

*

LAEtificant hominis cor Musica, vina, venusq;,
Noxa nec in Domino Musica, vina, venus.

*

Musica concordans, oc Adami, succus Iacchi,
Atq; DEI, *faciunt pectora læta, timor.*

*

Musa sonans, venus, & generosi copia Bacchi,
Hisce timor Domini iunctus, iuncta iuuant.

Costa

Costa viri primi, cum dulci, Musica, succo
Vitis, in exhilarant corda timore DEI.

*

Castus amor Nymphæ: Domini timor, humor Iacchi,
Musica, dic cui non his sociata, sapit.

*

Vina caro costæ, Domini condita timore,
Musica, legitimo iure fruenda, placent.

*

Costa virens Adæ, suauißima Musa, Lyæus,
Atq; timor Domini corda mouere queunt.

*

Musa, venus, vinum, virtus, mens nescia culpæ,
Corda viri dant cum læta timore DEI.

*

Dulce merum, timor & Domini, dulcißima Nympha,
Dulce melos, pia mens, dulcius hisce nihil.

*

Οἰνοποτεῖν μετρίως κούρης τ' ἀπολαύς ἑταίρης.
Ἥδιστος βίοτος σὺν φόβου τοῦ θεοῦ. *PhiloMelæ.*

*

Vinum modestè bibere, virgine blandula
Frui, DEI in timore, vita dulcis hæc.

*

Vina bibisse, fruiq; modestè, virgine pulchra,
Dicitur in Domini vita beata metu.

*

Suaue merum, iunctæ suauißimus ardor amicæ,
Suauis in existit vita timore DEI.

*

Hisce tribus tria sint sociata Trinodia, Truncus
Hisce tribus tria quem non sociata iuuant.

*

Quem tria non trini moueant Hieronyme cantus,
Dona Fresendorfi mente profecta tua?

Hoc mage nil vocis trinæ modulamine mentes
Adficit, ò dulcis nobile fratris opus!
Addo mihi tribus bis tres odis quando sodales
(Hildnsemius primas quos meus inter habet)
Addo merum, costæ mihi dulcis iungo lacertos,
Natarum triadi teq;, Melissa, meæ:
Tunc mihi Musarum numerus completur, & edunt
Tres Charites trina cantica voce tria.
Harmonia dulci nobis modulando Melictes
Læticiæ licitæ facta melizo DEI.
Atq; mei memorans Fresndorfi, muneris huius
Ergò, tibi grata prospera mente precor.

IN SYMBOLVM
Zachariæ à VViding
Placet Fati.

SYmbolon hoc animi patienter vtrumq; ferentis
Mente bonum grata, perpetiente malum.

*
Alea fert Oleam: Pietas hac, Sors datur illa:
Sortis ero patiens, & pietatis amans.

*
Fata vocant me quo, pietas sincera sequetur,
Qualia & hæc, florens illa virebit, erunt.

*
Dextera seu fuerint mea siue sinistra futura
Fata, DEVS perstem da pietate virens.

*
Iacta dabit quicquid mihi cœlitus alea fati,
Dante DEO, constans in pietate feram.

*
Siue mihi senis mihi seu stata tessera binis
Orbiculis fato missa, placebit, erit.

Fata

*

Fata ferent quicquid pietas mihi fronde virebit,
Consita ceu viridi frondet oliua solo.

*

Fata viam inuenient, aderitq; vocatus IESVS,
Alea cui fati ceu volet ipse volet.

*

Fortis in aduersa, constans, humilisq; secunda,
Sic fortuna mihi neutra nocebit, ero.

*

Qualis erit mea sors, pietas erit addita, gratus
Mitia qua, patiens duraq; fata feram.

*

Alea nec summos orbes neq; conferat imos
Sint medij, pietas inter vtrosq;, mihi.

*

Triquetra quinquatrij Triadis Placet Alea Fati,
Sex vnum duo non, summa vel ima, cadant.

*

Daus Eß/ zu gring/ gib mir nicht HErr/
Ses Zinck / zu hoch ich nicht begerr.
Auff mittelstraß / der Quater Trey/
Die Selign gehn / da bleib ich bey.

FATVM.

Fati vocabulo, DEI præsentia
Notatur Bonitas atq; Prouidentia:
Vt qua bonus sibi DEVS perenniter
Conseruat humanum genus mirabili
Modo: dat halitumq; vitam singulis:
Ab pascit annis singulos tenellulis:
Disponit & cuiusq; vitæ tempora:
Sortes sua nostras manu prudens regit:
Suam cuiq; functionem destinat:

Largitur ac animiq; vires corporis:
Vocationi dona donat debita:
Laboribus benedicit & nostris: mala
Depellit, ærumnasq; mitis mitigat:
Nos & docet nostræ saluti commoda:
Conuertit à peccatis: aditum denotat
Vitæ perennis ad futura gaudia:
Mortalis huius indè vitæ cuilibet
Metas suas constituit atq; terminos.
Et his, & alijs argumentis plurimis,
Signis, innumeris & notis ostendit, hic
Non procul ab vnoquoq; nostrûm abesse se:
Sed nos in ipso viuido, præsenteq;
Semper viuere, mouerier, subsistere.
Eiusmodi Fati mihi Placet Alea.

*

Velle tuum iuxta tibi me do CHRISTE regendum,
Tu rege, tu gere, me tu tege, pasce, bea.

IN
DVLCE DICTVM
Saluatoris
Ego sum lux mundi.
Quod est Symbolum Danielis à vviding F. Zach:
Christus mea.

Gott ist mein Liecht vnd Seligkeit.
Von nun an biß in Ewigkeit.

Lux ego sum vasti CHRIstus clarißima mundi
Qui sequitur me non ambulat in tenebris.

*

Lux ego sum mundi, nulla caligine noctis
Obruitur, qui me concomitatur homo.

CHRI-

*
CHRISTVS ego mundi ſum lux, qui lumine tali
Ambulat, hunc nunquam deuius error agit.

*
Reſplendens toto CHRIſtus ſum lumen in orbe,
In tenebris non, qui me comitatur, erit.

*
Orbis in obſcuri lux ſum pellucida nocte,
Huic, ſequitur qui me, nox erit ipſa dies.

*
Mentibus obſcuris lux ſum clariſsima CHRISTVS,
Non errat verbi qui comitatur iter.

*
CHRIſtus in humanæ denſa caligini mentis
Erranti, verbi lumine monſtro viam.

*
Monſtro viam, rebus do lucem, lumine cunctos
CHRIſtus, agunt tenebris quotquot in orbe, beo.

*
Effigies Solis, Patris eſt eſſenria, quæ non
Cernitur, hic præſens lux niſi CHRIſtus ero.

*
Percipitur Solis velut haud eſſentia, ſubſit
Lux niſi, ſic CHRIſtus ſum patris ipſe iubar.

*
Lux ego ſum Patris ſic Filius, & Calor ipſe
Spiritus, accendens corda calore, Sacer.

*
Lux Euangelion, tenebræq; piacula Lege
Nota, tibi Lux, ſunt hæc vbi laxa, micat.

*
Dum verbi lucet lux hæc, vos carpite lucis,
Lucis vt & ſoboles eſſe queatis, iter.

*
In tenebris verſor Daniel, & mortis in vmbra,
Sit pedibus verbum CHRISTE lucerna tuum.

In

*

In tenebris CHRISTVS tua lux, ne deuius erres
Luce dabo pedibus pacis adire viam.

*

Orbis in existens hominum scrobe dego malorum,
CHRISTE tui memorans hîc Danielis eris!

*

Ne timeas Daniel, dentes cohibebo Leonum,
Hoc & ego mortis te releuabo lacu.

*

Tu mea lux, DEVS, es mihi cornu forte salutis,
Cuius ego vanas quæso timebo minas?

*

Luxq́; Salus, dux tu: mihi te duce, luce, salute
CHRISTE, potest hominum nemo nocere mibi.

IN SYMBOLVM

Eliæ à VVilding: Zach: F.

Spes ⚓ Vitæ.

Mein hoffnung steht zu Jesu Christ/
Den Er meins Lebens Ancker ist.

*

SPes non confundit, nam spes est anchora vitæ,
Ad quam seruatus qui fugit omnis erit.

*

Sola mihi spes est qua non confundar IESVS,
Quo viuam, moriar, quoq́; beatus ero.

*

Spes dea formoso vultu, sed numine lento,
Haud expectantes deserit illa tamen.

*

Spe viuo, vincam, vicit velut omnis eadem
Qui pius hac vixit spe, modo rēq; valet.

*

Rem Verbi ſpectat firma Spes mente futuram,
Præſto Rei Verbum fert animoſa Fides.

*

Sacra vacillantis retinet Spes anchora cordis,
Fluctibus euertat ne crucis vnda, ratem.

*

Spirat vt in CHRISTO, CHRiſti ſic Speſq; ſalutem
Sperat, ab hoc res, ſpes, halitus, aura, vigor.

*

Viuo fide CHRISTI, promiſſaq; ſpero futura,
Hiſce datis viuam totus amore DEI.

*

Ipſa[1] Fides magnum[2], Spes magnum, maior at hiſce
Eſt[3] Amor: hic durat, illa ſed eſſe ſinent.

*

In Dominum mea Spes, hominum Spes vana ſalutis,
Rara, fides, auis eſt, inſtar Oloris atri.

*

Expecto Dominum, gero meq; viriliter, in me
Cor confortatur, Spes mea, CHRIſtus adeſt.

*

Speret in, Iſraël, Dominum: cui gratia ſoli,
Copia cui ſoli larga ſalutis adeſt.

*

Nos ſuper exiſtat bonitas tua CHRiſte, velut nos
In te ſpem gerimus, nos tua turba, Patrem.

*

Tam ſæuus dolor vllus eſt, prehenſæ
Quem non mitiget orta ſpes ſalutis.

*

Sors, crux, mors, ita, amara vita, vitæ
Sunt vincenda fideq; ſpe futuræ.

*

Nil deſperandum CHRISTO duce lucis, Elias
Spes facit vt viuam cùm ſcrobe foſſus ero.

*

Spem talem tu non vigilantis ſomnia dicas,
Spem, ſine quæ dubio quod ſibi ſperet habet.

IN SYMBOLVM
Vxoris Zach: à VViding.

**Der iſt gewiß ein weiſer Man/
Draus Holder Abbrech machen kan.**

*

OMnibus in rebus placitis modus æquus habendus,
A nobis fiat ne quid agendo nimis.

*

Sit modus in cunctis licet iſta paræmia rebus,
Attamen in primis pocla ſit inter, auet.

*

Qui graciles hodie bibimus, bibitisq́, bibuntq́,
Ibis ut, ægroti cras ibimus, ibitis, ibunt.

*

Qui tempeſtiuè diſceſſerit ebria potus
Immodici vitans pocula ſera, ſapit.

*

Pocla qui ſummæ malè ſana noctis
Deſerit, cautus mala multa vitat:
Nam bonis virtus placitis vocatur
Abſtinuiſſe.

*

Qui conuiuia deſerens bibentûm
Sera nocte fugit, fugit periclum:
Quin famæq́, animæq́, corporisq́,
Is damnum fugitat ſimul bonorum.

*

Qui vitare volet triſtia plurima
Mentis, corporis, & quin animæ malum:
Is conuiuia mox deſerat ebria,

Nec

Nec feces cyathi ſorbeat vltimi.

*

Qui morſibus carere conſcientiæ
Cupit, periculumq; fugere corporis,
Famæ notamq; non inurere peßimam,
Nec criminis cor ſauciare vulnere,
DEVM, pudicus vt minus nec lædere:
Potus nimis nam caſtus eſſe vix poteſt:
Conuiuium maturus ille deſerat.

*

Fructus tetræ ſunt Ebrietatis hi:
Damnum bonorum: membraq; morbida:
Contemtus ac DEI: famæq;
Naufragium: graue mentis angor.

*

Sic hodiè faxit DEVS ipſe, bibamus, vt expers
Craſtina mens curis euigilare queat.
Quin ſic viuamus det vitæ tempora, curis
Iudicij ſit mens tempore caſſa, DEVS.
Corporibus iungi quando mens reddita priſcis
Debet, vbi viuo corpore quisquis erit.

*

Qui ſine triſticia vis viuere, viue modeſtè:
Inq; bono, ſi vis vincere, vince malum.

IN SYMBOLVM

Elzbeæ à VVidinz: Filiæ zach:

Jch trawe Gott/ vnd ſorge nicht/
Er gibt ſein Segen wunderlich.

*

QVærite mortales primùm cœleſtia regna,
Terrenæ vobis adijcientur opes.
Ventris opes neq; ſit vobis præpoſtera cura
Quærere, ſed primùm quærite mentis opes.

 Sollicitì

Sollicitì neq; de victu, neq; sitis amictu,
Qui vestit flores, qui quoq; pascit aues,
Vestra quod his egeat mortalis & indiga vita
Scit, Pater is vester, vester is estq; DEVS.
Ne modicæ fidei, quid edemus? quidue bibemus?
Dicatis, ceu gens ethnica, cassa fide.
Vos Domino quin hanc vestram committite curam,
De vobis ipsi nam pia cura suis.
Hora DEI veniat, venient è flumine vina,
Tempus agris profert, non sola sola, rosas.
Sic vt Aues igitur neq; Flores crastina curant,
Hora DEI præsens nam sua dona dabit,
Pectore non dignis curis ita vestra leuetis,
Cura sit hæc quæuis vt sua cuiq; diei.
Fac tua, quæ tibi sunt Domino facienda iubente,
Nil sine mandato cura labore dabit.
Nil nisi tristiciam, senium dabit ante senectam,
Nec nisi cum tribulis gramen habebit ager.
Portio sit panis tibi quotidiana probata,
Quæ medium teneat summa sit ista precum.
Sic petijt Salomon contentus sorte decente,
Quisquis & hac fuerit mente, beatus erit.
Sic populus longo diuini tempore verbi
Esuriens causa, sustinet ipse DEVM.
Pascit eos vitæ Dominus quoq; pane perennis,
Nec sua ieiunis ventribus esca deest.
Sic quoq; sectantes potiorem cœlica partem,
Pascet, & vt pauit plus super esse dabit.

IN SYMBOLVM
Salomes à VViding: Zach: Filiæ.

Gott mehr hat / den Er je vergab /
Von mir wirt Er nicht lassen ab.

EST

*

EST Largus, Miserans, Pater, Creator,
Prudens, Fidus, Abundus, & Benignus,
Iustus, Cunctipotensq;, Fraudis expers,
Qui victum tribuit mihiq; vestem,
LARgus: qui dedit orbis hæc Adamo
Eius climata cuncta posterisq;:
Sic est COMmiserans: quod ipse Natum
Pro Me tradidit in crucis patiblum.
Me sic diligit & PAter paterno
Affectu, genitrix vt alma fœtum.
Mentis, corporis & mihi, CREator:
Donat singula membra, protegitq;.
PRVdens: omnia scit, quod est necessum,
Vt scit quicquid opus mihi futurum.
FIDus: nocte dieq; cogitando
Pro me sollicitus, meosq; curat.
DIVes: dotibus vt coronet anni
Singlis circuitum, cibum ministrans.
Non Solis negat, vt bENIgnus: hosti
AEstum, dans pluuiam bonis malisq;.
IVSTus: denegat haud suis ministris
Iustam dando cuiq; portionem.
Suos, OMNIpotens: vt absq; victu
Sustentare queat, recens amictus
Longo tempore calceiq; durent,
Hebræis quater vt decem per annos:
In scit pinsere nube dulce manna,
Pistum mittere deq; nube panem.
Sic multos modicaq; pascit esca,
Vt plus quàm saturis fuit superſit.
VERAx: verus, vt insciusq; fraudis
Donat Filius ipse quod beatis
Promittit, quoq; quod de eo ministri.

Testes testificantur, ipse præstat.
Quare lætus ero, DEOq; fidam,
Desperans animo nec ipse frangar.
Nec incredulus inde sum futurus
Verbis, pollicitisq; CHRISTI IESV:
Quem nobis Pater omnibus, & unà
Ipso cum, bona cuncta dona donat:
Vt cui plus superest ab orbe facto,
Totum quàm dedit hactenus per orbem:
Hunc in conijcioq; me meamq;
Curam, curat amatq; me meosq;:
Vt qui dat mihi regna sempiterna
Non mortalia dona denegabit,
Nam largus, miserans, Pater, creator,
Prudens, fidus, abundus, & benignas,
Iustus, cunctipotensq;, fraudis expers,
Qui victum tribuit mihiq; vestem,
Quod tecum statuo mihi Mathæsi.

IN SYMBOLVM

Oliuæ à VViding: Filiæ Zach:

Gott vber Nacht bescheren thut/
Was vns an Leib vnd Seel ist gutt.

*

Non vt edas viuis, sed edis quo viuere poßis,
Causa cibus vitæ non tua vita cibi.
Nemo potest hominum solo sed viuere Pane,
Pane sed è Verbi quod sonat ore DEI.
Hic animæ cibus hic potusq;; famemq; sitimq;
Sedat, vt ambrosia, nectare, corda leuans.
Viue DEI memor, & potu vtere, vescere pane,
Atq; DEO grates potus & altus age.

Victus,

Victus, vestitus, qui sufficientia confert,
Donec in hac vita te velit esse breui.
Quas dedit, haud desunt, plures at in orbe supersunt,
Quam dedit a primi patribus orbis, opes.
Cœlica qui mihi dat, non terrea dona negabit,
Hactenus ut mihi qui singula dona dedit.
Panis enim vitæ, vitæ bona dona perennis
Orbis opes, saturas & dat habere dapes.
Pectora cur igitur sic vespere mane grauantes
Conficitis curis, quod vetat ipse DEVS.
Quandò dat in somnis bona non sperata beatis,
Cui nihil est hodie, cras satis esse dabit.

GRATIARUM ACTIO
& Precatio Matutina & Vespertina,
Zachariæ à VViding, quotidie
usurpari solita.

O Pater, æternas ago, mi DEVS unice, grates
Per Filium IESVM tuum CHristum, tibi.
Maiestas tua me, sine me, quod corporis huius
Animæq; fabricam meæ, creauerit.
Gratia quod tua sic animam cum corpore, noxæ
A morte, Nati morte, liberauerit.
Noticiæ tui, item Nati, quod lumine Flatus
Multipliciq; dote me beauerit.
Porro tuus bonus in me ducat Spiritus huius
Vitæ viam planamq; vitæ perpetis.
A teneris annis & ad hanc quod prouidus horam
In omnibus me texeris periculis.
Et rogo me serua, DEVS ò dulcissime posthac
Ab omnibus malis mihi nocentibus.
Hac quoq; præterita tua me quod dextera * nocte   * luce
Seruarit, à malisq; me tutata sit.
Teq; rogo supplex, Pater ò mitissime, serua
Hac * luce me periculis ab omnibus.   * nocte

Et

Et mihi patratum scelus, ò Pater! omne remitte,
Hinc me tegens à crimine, & discrimine.
Vt tibi sic placeat mea, mi Pater, actio tota,
Tibiq; tota grata vita sit mea.
Namq; tuis animam manibus commendo paternis
Meam, meiq; membra singula corporis;
Ipse meæ custos vitæ vigil Angelus adsit,
Custodiat qui me, meosq; singulos:
Quorum sic animas vt eorum corpora singla
Commendo manibus patrijs, DEVS, in tuis.
Corporibus quæ sunt animisq; futura saluti,
Tibiq; laudi, confer his, horum Pater.
Ne nobis dirus, Satanas, incommodet hostis,
In crimina allectando nos turpissima;
Nos neq; conyciat miseros in sæua pericla,
Corporibus, animabusq; nostris noxia.
Neu malè præcipites inopia morte necemur,
Vitam piam, placidumq; confer exitum.
AMEN.

FINIS.

